



1
14
2
2.
31
36
38
39
39
40



1746

1^a Buchnerus, Tristram Humingius: Utrum Electores vii Archiepiscopi -
appretorum imperatorem eligant? L. Compt.

2. Buchnerus, Tristram Humingius: De jure primi fori locatoris
in conducto. l. u.

3^a Buchnerus, Andree Elias: De captatione da locorum
utilitate

3^b Buchnerus, Andree Elias: An dentur remedia abortuum
simpliciter promotiva?

3^c Buchnerus, Andree Elias: De pellentibus remediis ut
usu, abusu ac damno in parturientibus.

3^d Buchnerus, Andree Elias: De differentiis naturarum
respectu climatum

3^e Buchnerus, Andree Elias: De venenis eorum que
diverso agendi modo.

4^a Buchnerus, Andree Elias: De causa alvi solutione
in morbis



1746

4^b = Buchnerus, ~~Severus~~ Andreas Vesalius: De tincturis alcalinis

5. Carrach, Francus, Julius: De differentiis juris Romani
et Germanici in heredis institutione voluntaria

6^a = Homfeld, Petrus: De libertate Orientalis Prussiae
circa vicarium imperii Romani. Germanici regimen.

6^b = Funckerus, Francus: Disquisitio causae istius . . .
quod exiit non sit homicidium, quae ~~est~~ abortum
procurat, antequam corpus sit infusa.

6^c = Funckerus, Francus: De morbis infantum

7. Funckerus, Francus: De odontalgia

1747.

1^a = Albershi, Michael: De crimine stellionatus medici.

1^b = Beckmann, Gustavus Bernhard et Beckmann, Ott David

Meinrich: Gedanken von Reformiren des Rechts

1747.

2^{tes} Breman, Gustavus Bombardus: de obligatione
mandantis pro mandatarium, fines mandati exceden.
Lem. 2. 8 ampl.

3^{tes} Ge. Beermann, M. David Hennig: de fundo emto sub
pacto de retrovendendo 3 Saapl. 1747 et 1768.

29





29

DISSERTATIONIS PVBLCI
IMPERIALIS

QUAESTIO SEQUENTIVR:

VTRVM ELECTORES
VI ARCHIEPISCOPIORVM
IMPERATOREM
ELIGANT

QVAE
PRAESIDE

ACADEMIAE THEOLOGICAE DIRECTORIS

DR. IVSTO HENNINGIO BOEWMERO

1670

NOTARIISSIMO UNIVERSITATIS NEQUI A CONSILIO INTIMO

REGIMINE DECAVIT MAGISTRO THEOLOGICO CELLARIO

STAFF SECRETARII CRIDICIAE ORDINARIO

SENESCU INCLYTI ICTORYM ORDINIS


PROFESSORIS DOCTORIS

WILHELMUS CRUICKHOFF

1670

IN ACADEMIA THEOLOGICA

LITTERIS IOANNIS FRIEDRICI GRENERTII



20 2
DISSERTATIO IVRIS PVBLICI
INAUGVRALIS
IN QVA

1746, 16
QVAESTIO EXPENDITVR:

VTRVM ELECTORES
VI ARCHI-OFFICIORVM
IMPERATOREM
ELIGANT

QVAM
PRAESIDE

ACADEMIAE FRIDERICIANAE DIRECTORE
DN. IVSTO HENNINGIO BOEHMERO
ICTO

POTENTISSIMI BORVSSIAE REGIS A CONSILII INTIMIS
REGIMINIS DVCATVS MAGDEBVRGICI CANCELLARIO
ATQVE FACVLTATIS IVRIDICAE ORDINARIO
CONSENSV INCLYTI ICTORVM ORDINIS
PRO GRADV DOCTORIS

DIE XVII. SEPTEMB. MDCCXXXVI.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVEMITTIT

H. L. Q. C.

AVCTOR ET RESPONDENS

WALTHER BECKHOFF

HAMBVRGENSIS.

HALAE MAGDEBVRGICAE
LITTERIS IOANNIS FRIDERICI GRVNERTI.

(6 $\frac{1}{2}$)

2

DISSERTATIO LYRIS PALLIIS
IN VERA

QUESTIO EXPENDITUR:

VI ARCHI-OFFICIORVM
IMPERATORVM
ELIGANT

PRÆSIT

DR. IVSIO HENNINGIO HOFFMANN

PRO GRADU DOCTORIS
CONSENSU FACULTATIS MEDICINÆ
GOTTINGENSIS

WILHELMUS FRIEDRICH

C
S
S
P
S
A
I
F
A



VIRIS
ILLVSTRI BV S, MAGNIFICIS,
AMPLISSIMIS,
CONSULTISSIMIS, PRVDENTISSIMIS
CONSVLIBVS,
SYNDICIS,
SENATORIBVS,
PROTONOTARIO,
SECRETARIIS,
ARCHIVARIO

INCLYTAE S. R. I. CIVITATIS
HAMBVRGENSIS
FAVTO RIBVS ATQVE PATRONIS
AETERNVM COLENDIS
HANC INAVGVRALEM DISSERTATIONEM

D. D. D.

cultor obstrictissimus

Walther Beckhoff.

VIRI

ILLUSTRISSIMIS MAGNIFICIS

AMPLISSIMIS

CONSVLTISSIMIS PRUDENTISSIMIS

EXCELLENTISSIMIS

REVERENDISSIMIS

ILLUSTRISSIMIS

EXCELLENTISSIMIS

REVERENDISSIMIS

ILLUSTRISSIMIS

EXCELLENTISSIMIS

REVERENDISSIMIS

ILLUSTRISSIMIS

EXCELLENTISSIMIS

REVERENDISSIMIS

VIRI
ILLVSTRES, MAGNIFICI,
AMPLISSIMI,
CONSULTISSIMI, PRV-
DENTISSIMI



Dum dissertationem hanc
inauguralem more ma-
iorum edere consti-
tui piaculo dignum arbitratus sum,

)(3

nisi

VI

nisi VOBIS, MAECENATES,
haec primitias studiorum meorum sa-
cras esse iuberem: VOBIS inquam,
VIRI ILLUSTRES, QVO-
RVM pro bono publico indefessum
laborem et pro civium salute maxi-
mam ac indefinentem curam semper
grato pioque animo venerantur po-
pulares. Dignemini igitur, PA-
TRES CONSCRIPTI, hanc pie-
tatis erga VOS meae publicam testi-
ficatio-

ficationem benevolo animo accipere.
Quod autem meae differtationi arte
aut scientia rerum comparare non po-
tui ornamentum, gratia, qua illam
accipietis, supplebit. Deum O. M.
suppliciter rogo, ut VOS per feros
annos Patriae, SPLENDIDISSI-
MISQVE FAMILIIS VESTRIS
salvos fervet ac incolumes. Favori
denique VESTRO me commenda-
tum habeatis, et nemini pietate atque
reve-

VIII

reverentia erga VOS me secundum
ullo umquam tempore fore credatis.

Valete. Dabam Halae Venedorum
die XV Septembris A. P. C. N.

CIDCCXXXVI.

CAPVT



CAPVT I.

DE

IVRE ELIGENDI IMPERATOR-
REM ANTE INTERREGNVM.

§. I.



acturusne operae pretium sim, dum de *Prooemium.*
Archi-officiis Electorum sacri Romani Im-
perii, deque eo, quod inde dependet,
iure dissertationem scripserim, dubito,
vel si certo scirem, dicere non audeo.
Non enim illi, quorum studium circa
ius Imperii nostri publicum versatur,
ignorant, spartam hanc a viris erudi-
tionis fama ac dignitatibus clarissimis pridem iam occupa-
tam fuisse, qui hoc caput vel in systematibus, compen-
diis aut aliis libris, quos ediderunt, elucidare adgressi sunt,
vel libellis de singulis *Archi-officiis* sigillatim scriptis, ce-
terorum etiam iura penitus haud neglexerunt. Hinc non
A leviter

leviter metuo, ne labor meus aliorum incurrat reprehensiones, quod adeo tritum thema denuo in arenam reduxerim. Verum, cum omnes, qui de eadem re scripserunt, principiis nequaquam iisdem fuerint imbuti, hinc mirum non est, si sententiis et opinionibus invicem adeo discrepent, ut lectorem reipublicae Romano-Germanicae ignarum aut ambiguum relinquunt, cui e pluribus sit fides habenda potissimum, vel ut erroribus suis adsentiatum pene cogant tot legum, diplomatumque multitudine in medium prolata, qua eius animum percellunt, cum tamen haec, insuper ut plurimum habita ratione, coacervata sunt et usus scriptorum adplicata. Quo etiam accidit, ut quidam Principes Electores, talia gerentes *Archi-officia*, vix ab illis, qui in famulatio aulico Imperatorum sunt, ministris distinxerint, antiquis saltem temporibus subque primordia Germanici Imperii. Causa erroris fortean haec est, quod illi tempora *Carolingicorum* Imperatorum et, qui illos exceperunt, *Germanicorum* ab invicem discernere negligant, eandemque formam Imperii sub utrisque fuisse, ad minimum ad XIII saeculi medium usque, sibi aliisque persuadere omnibus adlaborant viribus. Vereor autem, ne prudentiores, praesertim hodie, cum ius publicum tot tantisque ex historia petitis argumentis suffultum sit, haec et similia merito respuant. Regnantibus enim Francorum primae ac secundae stirpis regibus officiales e nobilitate lecti sunt, qui summa etsi pollerent auctoritate in regno, utpote a regibus proximi atque in intimam eorum admitti fami-

familiaritatem, attamen principes integrarum provinciarum non fuerunt, qui domi haberent territorialem potestatem. Diversissimus tandem fuit status stirpe Carolingica in Germania cum LUDOVICO INFANTE extincta et summa rerum ad Saxonicos Principes translata. Tunc enim nobilissimorum populorum validissimorumque Duces, interque suos regia propemodum potestate gaudentes, aliquando in stabulo equorum, cella vinaria, vel culina reperiuntur, muniaque famulis magis, quam tantis Principibus digna in aula Imperatoris obire non detestant. Germanorum nimirum indoli conveniens est, ut nihil averfentur magis, quam servitutem necessariam, nulli tamen genti reverentia erga reges suos sint secundi, quibus se ipsos voluntarie subiecerunt. Mirandum igitur non est, quod WITTICHINDO teste L. II. reges et Duces in OTTONIS M. coronatione ministeriis aulicis sint functi, cum parenti eius HENRICO suam potissimum deberent libertatem, a Francis olim suppressam. Sed haec ministeria neque semper imperatoribus exhibebantur, neque omni loco, sed plerumque tantum in publicis comitiis; unde non obscurum est, ad *ordinaria Ducum officia* haec olim non pertinuisse; proinde non imperatorum iussu, sed liberrimo arbitrio illos imperatoribus talia munia exhibuisse, ex historia est testatissimum. Attamen sequioribus tandem saeculis novum excogitatum est iurispublici dogma, ac si eligendi imperatoris facultas ab hisce *ministeriis* penderet, quae iam novo vocabulo *Archi-officia* adpellabantur. Error hic post Aureae

Bullae confectionem adeo mentes Istorum occupavit, ut eum plerique ceu rem extra omnem controversiam positam fuerint amplexi, in primis cum viderent, nulli alii principi, praeterquam Electoribus, *Archi-officia* sic dicta ab Aurea Bulla vindicari. Paucis igitur volupe fuit, in rei veritatem inquirere, vel quoniam sacrilegium esse duxerunt, adsertionem tot eruditorum in dubium vocare, vel quia huiusmodi disquisitionem inutilem plane ac supervacaneam esse crediderunt, cum parum intersit, ex veris principiis eligendi ius maioribus principibus tribuatur nec ne, dummodo possessione illius gaudeant quieti. Etsi nostra aetate ius publicum solidioribus longe nitatur fundamentis, quam saeculo XIV vel sequenti, quae optimo iure *ignorantiae aevum* in iure publico nominare possis; verum tamen octavo et nono electoratu institutis, nulla ferme res magis Imperatorem et imperium exercuit, quam ea de novis excogitandis *Archi-officiis*, quae Electoribus novis obeunda essent, licet haec meo iudicio nec iura nec dignitatem principis ullo umquam tempore auxerint. Sed de eodem argumento plura inferius.

§. II.

*Definitiones
officii et Ar-
chi-officii.*

a) Actionem iuxta legem determinatam, quatenus ad eam ita determinandam obligamur, *officium* dicimus. b)

Munus

a) Est haec PERILLVSTR. L. B. finitio, quam dedit in *Philos. pract.* de WOLF, Patroni, Fautoris et *uniuers. P. I. §. 224.*

Praeceptoris ad cineres colendi, de- b) Non de legibus civilibus tan-

Munus cum hac obligatione coniunctum etiam saepe officium in iure civili adpellatur. c) De his autem definitionibus non sum sollicitus, ne contra officium meum agere videar, quod definitionem *Archi-officii* secundum principia iuris publici a me postulat. Est igitur in hoc sensu: *Functio honoraria electorum principum Imperii Romano Germanici Imperatori exhiberi solita.* ELECTOREM autem nomino principem Imperii Romano-Germanici, cui ius est votum dandi, ut aliquis Imperator constituatur. Denique, IMPERATOR vocatur, summus imperans in Imperio Romano-Germanico per electionem ab electoribus legitime constitutus. Cum curiarum solemnium fupra mentionem intulerim, hic et illarum definitionem adponere haud abs re esse videtur. CVRIA SOLEMNIS vel PVBLICA COMITIA sunt conventus procerum imperii, in quibus

A 3

bus

tum hic sermo est, verum etiam iuris naturae praecepta illis adiunguntur, cum haec acque obligationem inducant, ac quidem illa, licet eorum transgressio vel neglectus in foris civilibus non semper poenis vindicetur. Officium enim adesse nequit, nisi lex aliqua praecesserit. SENECA quidem *L. II. de Ira c. 27.* aliter sentire videtur, dum ita scribit: *Quis est iste, qui se profitetur omnibus legibus innocentem? ut hoc ita sit, quam angusta innocentia est ad legem bonum esse? quanto latius*

officiorum patet, quam iuris regula? quam multa pietas, humanitas, liberalitas, iustitia, fides exigunt, quae omnia extra publicas tabulas sunt. Verum manifestum est, istum hic ius civile Romanum tantum sub legis adpellatione pro more Romanis consueto, intellexisse, nequaquam vero adseruisse, quod officia sine praecedente lege possint existere.

c) Confer huc Lexicographos in primis vero BRISSON, *de Verbor. Signif.*

bus praesente Imperatore vel eius commissario de bono publico Imperii Romano-Germanici deliberatur.

§. III.

Origines Archi-officiorum unde petendae?

Origines *Archi-officiorum* a diversis diversimode definiuntur. Quidam sentiunt Imperatores Germanicos illa a Romanis, imprimis vero ab aula Byzantina, esse mutuatos. Non quidem est negandum aliquos, inter quos Suevici e Domo Hohenstauffica oriundi, nonnulla Imperatorum orientalium instituta aulica et curialia vel plane adsumfisse vel imitatos tantum fuisse: verum tamen haec ad *Archi-officia*, OTTONI M. nondum Caesari, exhibita a principibus, extendenda non sunt, tempore nimirum, quo ab HILDEBERTO Moguntino Archi episcopo Rex Germanorum coronatus est. Alii ista a Francis derivare adlaborant, quorum reges pridem haec officia in aula sua habuerunt. Verum enim vero licet non possit negari, huiusmodi officia in Francorum aula olim fuisse, a ducibus tamen illa non sunt administrata, sed a nobilibus tantum, quod iam supra §. I. observavi. Hi enim istis iure perpetuo functi esse videntur; principes e contrario singulis Imperatoribus *semel* aut *iterum* hunc habuerunt honorem. Accedit, quod plures Caesares huius *honorarii ministerii* expertes fuerint profus. Interim tamen negandum non est, nomina horum *Archi-officiorum* e Francorum institutis petenda esse, etsi ceteroquin *Archi-officiales principes* cum ministris Francorum commune vel parum vel nihil plane habuerint, adeoque ut

non

non maior inter eos convenientia fuisse videatur, quam quae inter liberum hominem et servum deprehenditur. Proximus forsitan ad veteres Francicos accedunt officiales, quos Imperatores plerumque sub auspiciis imperii, sibi constituere soliti erant; qui cum aequae ac hi officia gererent non temporaria, verum perpetua, imperatoremque, ubi commoraretur, sequerentur, cum illis veteris aulae Francicae ministris facilius possunt comparari: huc pertinet locus WIPPON. *L. II. d)* ubi officiales, quos CONRADVS SALICVS statim post coronationem sibi elegerit, recensentur, quem et alii citant. *e)*

§. IV.

Tandem cum Germania libertate gauderet, nullorum officiorum, quibus principes Germanici in aula Imperatorum functi sunt, CONRADO I. scilicet et HENRICO I. regibus, fit mentio; neque Imperatores ab illis haec exegisse munia legimus, cum probe scirent, Germanica libertas quam impatiens sit ministerii servilis, sui que pristini status memores. Attamen haud multo post OTTONI M. hunc

Quomodo ad ministrata Archi-officia sunt?

sub Saxonibus.

d) In vita scilicet ipsius Imperatoris apud PISTORIUM pag 428. *reliquos officarios, ordinaret, diu non est superfedendum.*

sequentibus verbis: *In dispositione curiali, quem Rex MAIOREM DOMVS statueret, quos CUBICULARIORVM MAGISTROS quos INFERTORES et PINCERNAS, et* *e) Conf. ILLVSTR. MASCOVII dissert. de Origin. officior. Aulicor. S. R. I. quem Patronum atque studiorum meorum promotorem aeternum veneror.*

hunc honorem habitum fuisse certum est; mirandum sane factum tot tantorumque principum. Credibile tamen maxime est Principes nullam aliam ob causam Imperatori haec exhibuisse munia, quam ut eo magis maiestas Imperii Germanici exsplendesceret. Videtur OTTO III. forsitan Byzantinam imitaturus aulam, cuius fastum forte cum Graecanico ex matre sanguine hauserat, ad subeunda ista officia Principes blanditiis adlicuisse; abeuntibus idcirco, ut eo libentius aliquando haec ministeria repeterent, munera dare curavit, ut testis est DITMARVS. cuius verba *l. IV.* haec sunt: *qui muneribus locupletati discesserunt.* Errant interim maximum isti errorem, qui sub OTTONE III. hereditaria facta fuisse officia ista fingunt; cumque hic error a pluribus iam fuerit refutatus, mea refutatione opus non esse credo, vid. ILLVSTR. MASCOV. *diff. de Orig. Archi-offic. §. 27. seqq.* et IO. PETR. de LVDEWIG *Erläuterung der guldnen Bulle, Tom. II. Tit. 27. pag. 657.* Nequaquam enim et postea haec officia principes iugiter obtinisse, ex veterum scriptorum silentio iam ante me alii collegerunt: quae tamen a Ducibus haud facile negligi potuissent, si iam hoc aevo territorii eorum fuissent adnexa, idque lege publica. f) Figmen-

f) Quod DITMAR. *l. V. de CO WIPPON. §. III. lit. d.* adducto, ERMINOLDO Imperatoris Henrici ibique notes velim verba auctoris: Sancti Camerario, scribit, ad fun- *in dispositione curiali* etc. ex quibus tionem vere officialem non hono- clarum est loquutum esse de officia- riarum pertinere liquet. Horum *libus perpetuis* sub auspiciis regni officiorum ratio satis clara est ex lo- creatis a CONRADO SALICO.

Figmentum, quod tandem communiter creditum fuerit, officia talia habere aliquid iuris praecipui maxime in *electionibus Imperatorum* sequioris est saeculi. HENRICIS, e stirpe Franconica oriundis, hunc honorem numquam a principibus habitum fuisse constat, quippe qui hos Imperatores odio prosequerentur exitiali tamquam communis libertatis hostes acerrimos, et qui Romanum Imperium bonorum patrimonialium iure venire putabant, aut certe ut veniret aliquando optabant.

*sub
Francis*

§. V.

Exstincta cum HENRICO V gente Franconica, quam Germania fere numquam, nisi inimicam suae libertati senserat, ad LOTHARIVM II, Saxonem, rerum summa peruenit. Hic cum iustitiae et moderationis gloria plerisque suorum antecessorum longe antecelleret, miro etiam favore a principibus, quamdiu vixit, prosequutus est. Hinc duo minimum sub eo reperiuntur exempla praestiti huius ministerii honorarii a principibus; primo cum Imperator pascha celebraret anno 1134 Halberstadii. conf. CHRONOGR. SAXO *ad b. a.* SAXO GRAMMAT. L. XIII. *hisor. Dan.* Deinde in comitiis Merseburgi anno 1135 habitis. Res memoratu digna est, in prioribus comitiis anni scilicet 1134 Daniae Regem MAGNUM Mareschalli officio esse functum, in Comitiis Merseburgensibus idem ministerium a BOLIZLAO Bohemiae Duce obitum fuisse. Saxones quidem adferunt, factum hoc fuisse *consensu Ducum suorum*, sed idoneam utinam

*sub
Suevis*

B

nam

nam proferrent huius opinionis probationem, quae aliis prorsus falsa videtur, idque forte haud immerito. FRIDERICO I. Rex Daniae SVENO in solemnibus Curia Martisburgi celebrata gladium praetulit teste OTTON. FRISING. in *Chronic. ap. VRSTIS. L. VII. c. 19.* quod officium alias ad mareschallum pertinuit; quamvis HELMOLD. c. LXXIV. de hac gladii praelatione nullam plane fecerit mentionem, sed tantum Suenonem in regem coronatum in his comitiis fuisse scribat. Curiam solemnem Friderici I. Moguntiae anno 1104. celebratam ARNOLD. LVBECENSIS ita descripsit: *Officium Dapiferi seu Pincernae, Camerarii seu Mareschalci nominis Reges vel Duces aut Marchiones administrabant. L. III. c. 9.* sed utinam nominasset, a quibus haec officia fuerint praestita, Idem ARNOLDVS L. VI. c. 2. de functione officii Mareschalli, quod PRIBIZLAVS in solemnibus PHILIPPI Imperatoris curia obivit anno nimirum 1198, fert testimonium. Discordiis tandem in Germania ortis, quis quaeque, de his cogitasset officiis, cum omnes de securitate & quietate terrarum suarum solliciti fuerint possessione. g).

§. VI.

g) Scribit quidem TRITHEMIVS in *Chronico Hirsaug.* Imperatori WILHELMO officia ista honoraria praestita fuisse; sed dabiae fidei est locus monachi aevi paullo recentioris, quem cum iam con-

dignis argumentis refutaverit IOAN. PET. DE LVDEWIG, meam refutationem esse superfluum arbitror. vid. EIVSDEM *Erklärung der güld. Bulle Tom. II. pag. 661.*

§. VI.

Haftenus a nobis actum est de origine *Archi-officiorum* Au aliqua ex
Archi-officiis
iura principes
habuerint? in Germanico Imperio, simulque de modo ista administrandi quaedam attulimus, de eo saltim, qui usque ad tempora interregni obtinuit. Placet nunc etiam excutere quaestionem: an aliqua inde iura singularia Duces et Principes Imperii adquisiverint, quos has *functiones honorarias* obiisse passim apud horum temporum scriptores invenimus. Communis fere opinio est, *ius eligendi* Imperatorem adeo arcte adnexum fuisse *Archi-officiis*, ut nullus princeps Imperii qualiscunque sit dignitatis aut potentiae ad electionem hanc concurrere possit, nisi etiam in horum *archi-officium* numerum fuerit receptus, quae cum et antiquitate se commendat sententia, quippe per aliquot saecula fere ab omnibus credita, haud immerito calculum obtinuisse videtur eruditorum. Cum autem notum sit, praeter sacram scripturam, nullam aliam existere, cui simpliciter fides haberi debeat, experientia etiam docuerit, neque scientiam, neque potestatem summam licet, ab omnibus erroribus homines vindicare: hinc quatenus prolata sententia cum veritate conveniat, disquirendum hic esse statui. Verum enim vero id commode fieri non poterit, nisi de *forma electionis*, qualis a primordiis Imperii Germanici olim obtinuit, hic quaedam praefatus fuero; ea enim explicata, facile etiam liquebit: vtrum *Archi-officiorum* functio eligendi iura principibus tribuerit?

§. VII.

Modus Electio-
nis, Regum et
Imperatorum
Germanicorum
quomodo fuerit?
sib
Saxonibus

Morte LVDOVICI INFANTIS stirps Carolingorum in Germania exstinguitur. Suspensus diu tunc quilibet erat exspectatione, ad quem fortuna summam rerum sit translatura. Germanis OTTONEM et virtute et terrarum tractibus conspicuum eligere consultum videbatur. Hic ob nimiam aetatem recusabat se imperium accepturum, ipsisque auctor erat, ut CONRADVM Francorum Ducem imperio praeficerent; qui etiam cunctis a populis electus esse dicitur. conf. huc WITICHIND. l. I. et DITMAR. l. I. nec non LVITPRAND. l. II. c. 7. cuius verba haec sunt: *Conradus, Francorum ex genere oriundus, Vir strenuus bellorumque exercitio doctus, Rex cunctis a populis ordinatur.* Suasor CONRADVS moriens fratri fuit, ut deponeret inimicitias, quae cum HENRICO Saxoniae Duce ipsis intercesferant. Regnum Germaniae ne adfectaret, sed HENRICVM magis ad hoc fastigium, quantum posset, proveheret. Consilium, quod moribundus fratri dederat, penitus Francorum animis se insinuat. Primi electioni Saxoniae Ducis calculum addunt. Haec WITICHINDVS Henrici describens electionem ita expretsit: *Deinde congregatis Principibus et natu maioribus, exercitus Francorum, in loco, qui dicitur Fridisleri, designavit eum regem, coram omni populo Francorum et Saxonum.* Saxones enim hac de electione, quippe quae ad proprium Ducem summam rerum transferebat, secum facile confensuros non dubitabant. OTTONEM I, ne iure aliquo sanguinis regnum Germaniae se tenere crederet, licet vivente

adhuc

adhuc patre successor iam esset designatus, post fata HENRICI electione ad regnum Germaniae pervenisse constat ex WITICHIND. l. II. ad a. 936. *Defuncto patre patriae, et Regum maximo optimo, Henrico, omnis populus Francorum atque Saxonum, iam olim designatum Regem a patre, filium eius Ottone, elegit in principem.* b) Eodem modo ad summum in regno Germaniae ascendit fastigium OTTO II, ut testis est DITMAR. l. II. Chron. cuius verba haec sunt: *Mortua Ottone I. Imperatore, aequivocus eius, iunior scilicet Otto, patre adhuc vivente electus et unctus, iterum collaudatur cunctis in Dominum et Regem.* Conf. et CONRAD. VSPERGENS. in *Vit. Otton. II.* SIGEBERT. GEMBLAC. *ad an. 961.* HERM. CONTR. LAMBERT. SCHAFFNAB. CHRONOGR. SAX. *ad eund. an.* ALBERT. STADENS. *ad a. 975.* OTTONEM. III. patris post mortem a populo electum fuisse constat ex SIGEBERT. GEMBLAC. *ad an. 983.* i) DITMAR. *Reslit. l. VI.* ubi ita scribit:

B 3

Eris

b) Idem praeful paucis interiectionis Pontificem Hildebertum in solemnem coronationis Aquilgranensis processione ad populum sequentem in modum perorasse scribit: *En adduco vobis a Deo electum; et a Domino rerum Henrico olim designatum, nunc vero cunctis a principibus Regem factum, Odonem: si vobis electio ista placeat, dextris in coelum levatis, significate.* Evi-

dens hoc est documentum iuris praetaxandi principum maiorum, quo olim gravissimum, de quo plura adduxi infra litt. k.

i) Sed iusto brevius est testimonium Gemblacensis Monachi; rem accuratius exponit DITMARVS l. c. cuius sententia breviter huc redit, Exsul huc usque Henricus Warinum Coloniensem pontificem artibus metuque inducit, ut sibi Ottone

nem

Fit unus laicorum atque clericorum in Christi laude contentus, ac prius repugnantium supples adfectus, convenitque in unum dissona turba dominum, cet. Scribit quidem AVCTOR Vitae Henrici Sancti, qui OTTONEM III excepit, ipsum ab omnibus pari voto et communi consensu accersitum esse, sed alia omnia memoriae reliquit ADELBOLD, in Vit. eiusd. Imperat. op. LEIBNITZ Tom. I. script. Rer. Brunsv. pag. 432. postea tamen illi, qui electioni eius adversari fuerant, consensum praebuerunt, ut videre est apud LEIBNITZ l. c. et TANGMAR. in Vita S. Bernwardi Hildesheim. op. eumd. Tom. I. pag. 457. c. XXXIV. k)

§. VIII.

nem puerum iam electum traderet, tutelam regis sibi competere causatus: ast vera animi sententia fuit regalis coronae ambitio. Quapropter tradito sibi rege in festo Palmarum Magdeburgi celebrato a primoribus suis petiisse dicitur, ut sibi auxilium ferrent regnum Germaniae adipiscendi. In Paschatis festo publice rex a suis salutatur. Post haec vero ab illa mente destitisse atque Ottonis electioni consensum praebuisse, scriptores testantur adnente ipso DITMARO l. c.

k) Non principum solum, verum etiam populorum, qui electionem HENRICI perfecerunt, mentionem iniicit TANGMARVS: *Vota principum in diversa rapiuntur, plerisque regni fastidium sine respectu timoris Dei, usurpare nitentibus. Fit mirabilis, Dei misericordia, in electum adunatio, ut Populorum vota Primorum praevenerent studia. Nam sicuti publici conventus cogebantur, vox una vulgare, ipsum, non alienum quemlibet, rebus debere praeesse. cet.* Ex his patere opinor apud Principes vim et potestatem fuisse de futura Regis sive Imperatoris electione consilia prius ineundi, quam de eodem eligendo

§. VIII.

Improlem HENRICVM defunctum sequitur CONRADVS, cuius electionem posteritati reliquit WIPPO Cancellarius illius *in Vit eius ap. PISTOR. pag. 43 seq.* Hic postquam de consultationibus, quas de futura electione et per litteras et per legatos habuerunt principes, quaedam narravit, ita scribit: *Tandem condita est dies, notatusque locus, fit publicus conventus, qualem me vidisse antea non memini. In quo conventu quid actum sit dignum memoria, scribere non differam. Inter confinia Moguntiae et Wormatae locus est amplitudine, planitie causa multitudinis maximae receptibilis, ex insularum recessu, ad secretas res tractandas, tutus et habilis. - Ibi dum convenissent cuncti primates, et ut ita dicam, vires et viscera regnicis et circa Rhenum castra locabant. Qui, dum Galliam a Germania dirimat, ex parte Germaniae Saxones, cum sibi adjacentibus Sclavis, Franci Orientales, Norici Alemanni conveniunt. De Gallia vero, Franci, qui supra Rhenum habitant, Ribuarii, Lutharingi, coadunati sunt. Quaeritur de summa; dubitatur de electione incerta; inter spem et metum suspensi, alterna desideria cum invicem cognati, tum inter se familiares diuissime explorant. Erant duo Chunones, quorum unus, quod maioris aetatis esset, maior Chuno vocabatur; alter autem Junior Chamo dicebatur; ambo in Francica Teutonica nobilissimi, ex duobus fratribus nati,*

*sub
Francis.*

quorum
gendo populi dabant suffragium vel congrue adpellarunt. Clarius haec
consensum. Hinc praefconsultandi, principum praerogativa ex mox
pruetaxandi, praedeliberandi ius adducendis liquebit. vid §. seq.
illius aevi scriptores illud haud in- VIII.

quorum alter Hetzel, et alter Chuno dictus est. In his duobus, id est in Maiore Chunone et Iuniore, diu pendebat reliqua nobilitas: et quamquam Maiorem Chunonem secretiori consilio et avido desiderio, propter virtutem et probitatem illius, pene omnes eligerent, tamen propter Iunioris potentiam, ne, pro honoris ambitione, dissiderent, animum suum ingeniose quisque dissimulabat. Ad extremum vero, Divina providentia, contigit, ut ipsi inter se convenirent, quodam pacto, in tam dubia re satis convenienti, ut, si quem illorum maior pars populi laudaret, alter eidem sine mora cederet. - - Hinc sumto indicio concordiae, confedere principes: populus frequentissimus adstabat:

Tunc, quod quisque diu velatum corde tegebat:

Ferre palam licitum gaudebat tempus adesse.

Archi-episcopus Moguntinensis, cuius sententia ante alios ambigua fuit, rogatus a populo, quid sibi videretur? abundanti corde bilarique voce, laudavit et elegit maioris aetatis Chunonem, suum in Dominum et Regem, atque rectorem et defensorem patriae. Hanc sententiam ceteri Archi-episcopi, et reliqui sacrorum ordinum viri, indubitanter sequebantur. Iunior Chuno, paululum cum Lotharingis placitans, statim reversus, maximo favore, illum ad Dominum et Regem elegit; quem Rex manu adprehendens fecit illum consedere sibi. Tunc singuli, de singulis regnis, eadem verba electionis saepissime repetebant: sit clamor populi; omnes unanimiter in Regis electione principibus consentiebant: omnes Maiorem Chunonem desiderabant: in Illo persistebant: Ipsum cunctis dominantibus nihil haesitando proposuerunt; Eundemque regali potentia dignissimum iudicabant; et, ut nulla mora

conso-

consecrationis illius feret, postulabant; supra dicta Imperatrix, Chuneganda, Regalia Insignia, quae sibi Imperator Henricus reliquerat, non gravate, grate obtulit, et ad regnandum, quantum huius sexus auctoritatis est, illum corroboravit. *et.* Est iste locus insigne libertatis Germanicae regis in electione documentum, quem hanc ob causam totum exscribere non neglexi. Testimonia etiam auctorum hinc inde adduxi optimam probe sciens probationem ex illis peti. Sed, proh dolor! multa sunt ita comparata, ut ex illis ius quidem eligendi probari possit, modus autem, qui in singulis electionibus servatus est, e paucis tantum nobis innotescat: sufficit interim ex actis electionum quorundam Imperatorum iura Principum et Populorum in eis satis constare. Multos namque Principes ad regni fastigium vivente Imperatore provectos esse verum est, ubi consensum primorum notasse satis esse, fortean crediderunt illius aevi scriptores. Post patrem fasces imperii suscipit filius HENRICVS III. iam vivente illo electus et coronatus secundum WIPP. ad a. 1028. add. CHRON. LEODIENS. ad h. a. apud LABBEVM Tom. I. Biblioth. MS. LEIBNIT. *Script. Rer. Brunsv. Tom. I. p. 436.* AO. 1039. patris post mortem Traiecti solium imperiale adscendit, ut scribit CHRON. GR. SAX. ad h. a. pag. 247. Post haec Henricus, filius eius, communi electione paterno inthronizatus est solio. HENRIGI IV. electionem ex HERMANNO CONTRACTO ad ann. 1053. discimus; ubi ita: Imperator Henricus magno apud Triburiam conventu habito filium aequivocum Regem a cunctis eligi, ei que post obitum suum, si rector iustus futurus esset, subiectionem

tionem promitti fecit. Conf. LAMBERT. SCHAFFENAB. *ad a. 1054.* SIGEBERT. GEMBLAC. MONACH. HERVELDENS. *ad eund. ann. ap. SCHARD. Tom. I. rer. Germ. pag. 278.* Notari adhuc merentur verba ipsius Imperatoris, quae protulisse fertur, cum cimeliis regni a principibus, filii partes sequutis, spoliaretur Ingelheimii: *Haec quidem imperialis honoris insignia mihi praestitit aeterni Regis pietas et Principum regni electio concurs.* vid. HELMOLD. *Chron. Slav. cap. XXXII. seq.* Principum hic tantum mentionem facit Imperator, nullamque, quod mirandum, *populorum*, a quibus fuerit electus. Verum, ni valde fallor, hoc ideo factum, quoniam, uti supra a me probatum est, Principibus in omni electione ius *praeeligendi* competiit, populis haud facile illorum electionem reprobantibus, sicut ex actu electionis CONRADI SALICI a WIPPONE descriptae disci potest. HENRICVS V patre vivente iam successor regni electus est, cuius auspicia regnandi libidine foedavit. vid. HELMOLD. *l. c. CHRONOGR. SAX. ad a. 1106.* et AVENTIN. *l. V. Annal. Boior. p. 471.* LEHMAN. *Chron. Spirens. cap. XXXIX. pag. 474.* Annal. Hildes. *ap. LEIBNIT. Script. Rerum Brunsv. Tom. I. pag. 735.*

§. IX.

*sub
Survit.*

Mortuo HENRICO Franconia prosapia exstinguitur. Fasces imperii suscipere postea fere cogitur LOTHARIUS, ut testis est OTTO FRISING. *l. VII. Chron. c. IV. pag. 415.* Anno 1125. defuncto absque herede Henrico principes Moguntiae conveniunt, ibique habito de successore consilio quatuor regni optimates, Lotharius

rius, Dux Saxonum, Fridericus, Dux Suevorum, Leopoldus Marchio Orientalis, Carolus, Comes Flandriae, ad regnum designantur. Tandem Lotharius, natione Saxo, Patre Gebbaro, voto omnium, veniens valde et reclamans, ad regnum tractus, sub praesentia sedis apostolicae legati, nonagesimus tertius ab Augusto regnavit. add. ANONYMI *Chronic. vetus ex libris Pantheon. excerpt. ap. MENCK. Tom. I. Script. Rer. Germ. pag. 25.* In hac LOTHARII Saxonis electione populos Germaniae cum Principibus suis ecclesiasticis et saecularibus congregatos fuisse, narrat ANONYMVS, qui illam scriptis celebravit, editus a IO. GEORG. ECCARDO *in veter. monument. Quatern. pag. 46. seqq.* Interim haud diffitendum, electiones eo tempore saepe turbulenta fuisse, nec omnia semper iusto ordine ac modo peracta, ob studia nationum contraria vel Principum quorundam nimiam regnandi cupiditatem, quod citati Anonymi narratio etiam comprobat. Idem supra laudatus OTTO FRISINGENSIS de iure, quo Archi-episcopus Moguntinus gaudet etiamnum, Principes scilicet convocandi ad novi Caesaris electionem, quod ante eum neminem memoriae reliquisse memini, haec habet *I. I. de Gest. Friderici I. c. 15. p. 415.:* *Igitur Albertus (nam id iuris, dum Regnum vacat, Moguntini Archi-episcopi ab antiquioribus esse traditur) Principes regni in civitate Moguntina tempore autumnali convocat etc.* Defuncto Lothario CONRADVS III primus e Domo Hohenstauffica eligitur, sed in discordia. Conf. CHRONOGR. SAXO *ad a. 1138. ubi: primates Regni decreverunt generalem conventum fieri Moguntiae in Pentecosten, ut communiter ibi regno praeficerent, quemcumque Deus*

Deus ad hoc praedimasset. Interea quidam sequestrantes se ab aliis, mediante Thietwino Cardinali Episcopo, in medio quadragesimae, apud Confluentium oppidum, Conradum, fratrem Friderici, Ducis Suevorum privatim sibi regem elegerunt, unde deinceps non modica dissensio et perturbatio est exorta. cet. Consentunt ALBERIC. MONACH. *trium fontium ad a. 1138. p. 282.* CONRAD. VSPERGENS. *a. 1138.* et ipse Imperatoris Capellanus GOTFR. VITERBIENS. *P. XVII. Chron. pag. 510.* haec ita descripsit: *Cunradus supra memoratus nonagesimus tertius ab Augusto, apud Confluentiam, inter Moguntiam et Coloniam, in regnum eligitur praesente Deodevino, Portuensi Episcopo, Apostolicae sedis legato, statimque Aquisgrani, in sede Caroli a principibus constitutus, ab eodem legato est coronatus. Saxones tamen et Dux Bavariae tunc in eum non consenserunt, adferebant etiam, eum non Regem legitimum, sed per subreptionem creatum. reliq. conf. OTTO FRISING. l. VII. Chron. c. 22. DODECHIN. in adpend. ad Marian. Scot. ad a. 1138. FRIDERICI I electionem scriptis celebravit citatus OTTO FRISING. l. VII. Chron. c. ult. p. 166. IDEM l. II. de Gest. Friderici I postquam de morte Conradi III et de conventu Principum Francofurti quaedam adduxerat, ita pergit: Ubi cum de eligendo Principe Primaries consultarent (nam id iuris Romani Imperii apex, videlicet, non per sanguinis propaginem descendere, sed, per Principum electionem, Reges creare, sibi, tamquam ex singulari vindicat praerogativa) tandem ab omnibus, Fridericus, Suevorum Dux, Friderici Ducis filius, petitur, cunctorumque favore in Regem sublimatur. HENRICVS VI vivente adhuc patre Rex electus est et Aquisgrani a PHILIPPO Coloniensi*

nienſi Epifcopo coronatus conſentientibus Principibus, cuius rei teſtes ſunt ALBERT. STADENS. CONRADVS VSPERGENS. II. cc. et CRANZIVS I. VII. c. 46. PHILIPPVS et OTTO IV. in diſcordia Imperatores conſtituuntur. Interfecto autem Philippo, OTTONEM legitimum Imperatorem nemo recuſabat, ut legitur apud ARNOLD. LVBECENS. I. VI. Chron. Slavic. c. 1. pag. 449. ſeq. c. 2. p. 451. Iam anno 1195. FRIDERICVS II, petente id patre a Principibus, erat electus, vid. OTTO. de S. BLASIO ad h. a. c. XXXXIII. ANONYM. Saxon. hiſtor. Imp. ap. MENCK. Tom. III. Script. Rer. Germ. p. 116. et NAVCLER. Vol. II. Chronograph. Gener. 40. pag. 876. (GODEFRID. Monach. S. Pantaleon. p. 262. ad an. 1196. id refert, et ſecundum CONRAD. VSPERGENS. id an. 1197. contigit,) quem, cum praecedentes Imperatores excluderent a gubernaculis Imperii, tandem quorundam Principum conſenſu an. 1212. aut 1213. ad regnum Germaniae perveniſſe adfirmat NAVCLER. Vol. II. Chronogr. Generat. 41. pag. 914. cuius verba haec ſunt: *Fridericus, ut ad regni ſaſtigia conſcenderet, convocato Principum regni Germanici conventu Moguntiae, illo pervenit; ubi cum Principes in unam conveniſſent, Moguntinus Archi-epiſcopus denuo Fridericum regni Germanici corona inſignivit.* 1) CONRADVS IV
 C 3 quidem

1) Quae de hac electione profert auctor anonymus coaevus in Chronico veteri ex Libr. Pantheon excerpto exſtant. ap. MENCK. Tom. I. ſcriptor. Rer. Ger. pag. 33. Innocentius autem vocato Frederico Rege Siciliae ad urbem honorifice a Romanis et Papa ſuſcepto ipſum in Alemanniam contra Ottonem tranſmiſit. Mandans Principibus, ut eum eligerent ſine

quidem electus, sed non coronatus neque per Papam confirmatus fuit; ita habet MAGN. CHRONIC. BELG. pag. 235. add. *Annal.* DOMINIC. COLMARIENS. *ad a.* 1237. ap. VRSITIS. tom. II. qui tandem haustu venenato occiditur. Notabile mihi circa haec tempora videtur silentium auctorum de conventibus scilicet populorum Germaniae, qui iure eligendi Imperatorem a tot iam saeculorum lapsu gavisi leguntur; cuius rei rationem fortassis hanc fuisse credibile est: a FRIDERICI I temporibus (tunc enim Germania propter Guelphorum et Guibellinorum motus mirifice turbata est) electiones vel in discordiis factas, vel vivo Imperatore iam successorem constitutum fuisse; hinc populi pertaesi itinere perumque levi fructu susceptorum, ius suum tacite in Principes transtulisse videntur, quos etiam solos electiones peregrisse legimus.

§. X.

*Quae electio-
num forma
fuerit in in-
terregno?*

Fuit a temporibus FRIDERICI II status Germaniae turbulentissimus, quem fovebat sedes Romana, spem in discordia Germanica ponens. Erat scilicet Papae Hohenstaufficum nomen

sine mora, qui quarto anno imperii huius aevi scriptorum genio igno-
Ottonis in Imperatorem elegerunt scendum, quod pro verbis commen-
eundem. Ius eligendi Imperato-
rem ex anonymi verbis cave tribuas datitis saepe imperativis utantur.
Pontifici Romano: commendavit Pa- Nec denique negandum est, Papae
pa Principibus FRIDERICVM. Id auctoritatem multum his temporibus
enim Monachorum aut ceterorum valuisse, id, quod ex sequentibus
patebit.

nomen exosum, cuius ut fortunam everteret omnem dabat operam, Odii illius argumentum exemplo unius rei notasse, satis erit. Percusso tandem banni fulmine FRIDERICO, sedes Romana omnes intendebat nervos, ut RASPO Imperator constitueretur, cui et magnam pecuniae summam submittit. vid. MATTHAEVS PARIS. *ad a. 1247.* HISTOR. LANDGR. THVRING. c. XXXXLX. Hoc mortuo, WILHELMVM Hollandiae Comitem Germaniae obrudit, qui a quibusdam Episcopis et Comitibus, in Nussia, in Regem Romanum, ad gubernandum Imperium est electus teste ALBERTO STADENS. *ad a. 1247.* add. CHRONIC. AVGVST. *ad b. a. ap. FREHER. pag. 375.* CONRAD. EPISCOP. *in Chronic. ap. VRSTIS. tom. I. Rer. Germ. pag. 575.* Huius post mortem iterum in discordiam abiit electio, vide PTOLOMAEI LVCENS. *hist. Eccles. lib. XXII. c. 15.* quem sistit MVRATORIUS Scriptor. *Rer. Ital. tom. XI. col. 1149. una pars elegit Regem Castilliae, Alphonsum, alia vero dominum Richardum, Comitem Cornubiae, fratrem Regis Angliae. Quae quaestio duravit multis annis, nec terminata fuit, nisi per mortem utriusque. Pro qua quidem quaestione infinita pecunia est expensa, sed praecipue ex parte Regis Alphonsi, qui fuit vir gloriofus et amator honoris, propter quam causam multum spoliovit regnum suum. Id MATTHAEVS PARIS. ita exposuit pag. 698. Henricus enim Raspe, Landgravius Durlingiae, quem Papa proposuerat in Imperatorem sublimare, et pro cuius promotione infinitam profuderat pecuniam, periit in mortem ignominiosam praecipitatus. Post mortem cuius in loco eiusdem Henricus electus est comes Gelrensis, sed mortem pro-*

probrosam prioris considerans, recusavit, sic sublimari. Post hunc Dux Brabantiae qui et Lotharingiae, sed et ipse penitus refutavit. Post hunc vero Comes Richardus, qui vaser et abundans numismate et quia frater Regis Angliae, renuit, quia ambigua sunt Martis pericula, et praecise contradixit. (Sic duabus vicibus oblata illi est corona Germanica a. 1250. et 1256.) Post quem elegit m) Dominus Papa Willielmum Hollandiae Comitem. Qui temere consensit et iam omnibus amissis ad terram suam, et non iam suam, quia fratri suo eam donaverat, repulsus est, unde muscipulas et promissiones papales detestans, mendicare cogebatur. Videtis plura apud ILLVST. GEBAYER. im Leben und denkwürdigen Thaten Herrn Richards erwählten Römischen Käysers Grafens von Cornwall und Poitou. MAGN. CHRON. BELG. pag. 243. AVCT. CHRON. SLAV. ap. LIN. DENBROG. ad ann. 1257. p. 260. MONACH. PADVAN. l. II. ad dict. ann. Quinam eligendi modus etiam in interregno obtinuerit ex MATTHAEO PARIS. ad ann. 1257. discimus, quamquam ceteroquin illius descriptio mendis haud careat. Meretur sane iste locus, qui totus exscribatur: Hi sunt maximi in Alemannia, ad quorum nutum pendet electio ipsius Regis, quod est quasi arrha Imperii Romanorum: Archi-episcopus Coloniae, cuius titulus est, Sacri Imperii Protocancellarius, post honorem Archi-

prae-

m) Papa elegisse dicitur, ad quem tamen ius eligendi non spectavit, quod ipse VRBANVS IV in epistola ad Richardum agnovit; et ante eum INNOCENTIUS III. in c. Verabilem 34. X. de elect. et elect. potest. ubi illud Principibus Germaniae competere disertis verbis fatetur. vid. plura ap. LEIBNIT. Prodr. Cod. Diplom. Iur. Gent. Tom. I. p. 12.

praesulatus; *Archi-episcopus Moguntinus, Archi-Episcopus Trevirensis, Rex Bobemiae, Comes Palatinus de Rheno, Dux Aetfridae, Dux Suaviae, qui et Comes Bavariae, Dux Poloniae, Marchisus de Mische, Marchisus de Brandenburg, Dux Saxoniae, Dux de Brunsvic, Dux de Carentene, Dux Melsae, Dux Brabantiae, qui et Lovaniae, Landgravius Thuringiae, Marchio Mesiae.* Inter omnes Magnates supereminens *Episcopus Coloniensis, qui coronare tenetur Regem Germaniae apud Aquisgranum ab antiqua et adprobata consuetudine.* Vicia, quibus featet hic locus, quaedam adducam. Dixit Coloniensem *Archi-episcopum supereminentem, ut loquitur, esse in regno Germaniae, cum tamen notum sit Archi-episcopum Moguntinum inter ecclesiasticos semper primum locum tenere.* Bavariam et Sueviam, quam Suaviam adpellat, uni domino attribuit, licet eodem aevo propriis paruerit Ducibus. Quid sibi velit cum Marchisio de Mische cum ignarissimis scribere me fateor. Ceterum hic locus nos docet, eo tempore recentiores Principes cum antiquis territoriorum Ducibus simul Caesarum electionibus interfuisse, qui tandem penitus ab hoc negotio per Auream Bullam exclusi sunt.

§. XI.

Haec itaque ratio electionum fuit ante magnum, quod *Principes* vocant, interregnum. Nihil de iure, quod *Archi-officia* eligentibus tribuerunt, adferunt scriptores, quorum testimonia supra adduximus. Alia igitur ratio iuris eligendi sit necesse est. Ex supra dictis enim est testatissimum, *iure potestatis* Imperii propter administrationem archi-officiorum nullis iuribus aucti sunt.

D

puli sui quemlibet Ducum Imperatoris electioni interfuisse, Populus (i. e. nobiles) cum Duce ad electionem proficiscuntur, castraque locant. Haec supra cum iam adducta sint §. VIII. illuc lectorem remitto. Tandem Duces suorum *populorum nomine* ius eligendi Imperatorem exercuerunt, quod hi ob dissidia in imperio orta in diesque crescentia ad electionem amplius non venirent, praesertim cum eligentes in diversa abirent, et hoc modo discordes fierent electiones. Erat Principibus ab anno 913. usque ad annum 1180. circiter aliquid *iuris singularis* vel *praecipui* in Imperatoris electione, hoc est, ut de persona, quae eligenda, antea consultarent deliberarentque, quam populi de eadem suffragium poscerent. Hoc ius adpellarunt *praedeliberandi*, conf. *sup. §. VIII. not. k.* Ex his demum patet, vi *Archi-officiorum* nihil actum fuisse a Principibus, quippe qui nequidem eodem functi semper sunt officio, sed electiones Regum ad eos pertinuisse potius *iure*, ut ita dicam, *proprio a nationibus*, quibus praerant, derivando, nequaquam a ministeriis illis aulicis, quae schemata tantum honoris erant, electo Regi ab hisce exhibendis; accedit illos, qui eadem obiverunt aliquando, extraneos fuisse, ut iam supra §. V. dictum est. Hi necessario, si *Archi-officio* vel officio isti aulico tribuendum sit, iure eligendi Imperatorem gavisi essent, de quo tamen altum est scriptorum silentium. Verum ergo quam quod verissimum est, quod *Archi-officium* sit functio honoraria a Principibus Imperatori exhiberi solita.

CAPVT II.

DE

IVRE PRINCIPVM ELIGENDI
IMPERATOREM POST INTER-
REGNVM.

§. I.

Germania, gliscentibus inter membra sua discordiis, Statu Germaniae in inter-regno quinam? etsi quidam augustale solium ascenderint, calamitate tamen publica, motibus scilicet civilibus ita concussa fuit, ut, cum divinae providentiae debeat, quod continuam Imperatorum ac Regum suorum seriem habuerit, illius beneficium longe maximum sit, quod plures simul habendo non perierit. Quantum itaque periculum ab istis in Imperio Romano-Germanico factionibus et bellis privatis, quantumque ab hoste extraneo fuerit, suspicari de praeterito, quam re ipsa experiri est melius. Grafante hac publica calamitate commoti Principes conveniunt, ut scribit SCHILTER. *de liberr. eccles. Germ. l. V. c. 10. §. 5. pag. 730. pacem inter se principalem, den Land-Frieden, stabilientes isto foedere, de iniuria coniunctis viribus propulsanda, non tam de electione Imperatoris occupati, quam ut contra tyrannidem peregrinam libertatem tuerentur firmata statibus superioritate territoriali et inde dependentibus iuribus, cet.* Sicuti vero inter arma leges silent clausis iudiciis, multaque iurium atque consuetudinum capita inde vel antiquantur plane,

ne, vel saltem mutantur: ita et pacata Rep. nostra accidit. Arcent pedetentim nobiles a comitiis electioni Caesarum destinatis maiores Principes vel illi potius huiusmodi conventibus interesse amplius non cupiunt. Divisis principatibus novi orti sunt principes; Suevia enim interfecto CONRADINO Duce orbata in varias partes discerpta. Silentio praetereo alia iura noviter introducta, ex quibus quaedam tamen in sequentibus adducam, quae ad scopum meum propius accedere videbuntur.

§. II.

*Notam dignam
circa electiones
Rudolphi
Habsburgici,*

Convocatis Principibus Electoribus an. 1273. ab Archiepiscopo Moguntino, Francofurti RVDOLPHVS Comes de Habsburg Imperator constituitur teste M. ALBERT. ARGENT. in *Chron. ad d. a. ap. VRSTIS. Tom. II. pag. 100.* consentientibus FRAGMENTO HISTORICO *ibid. pag. 93.* et IAC. DE KOENIGSHOVEN *c. II. Chron. Alsat. §. 178. pag. 117.* Huic electioni Duces Saxoniae et Bavariae, Marchionem Brandenburgicum nec non Burggravium Norimbergae solum interfuisse verosimile est ex eod. ALBERTI *Chronico*, etiamsi quidam frustra MAINHARDVM Tirolensem in eligentium numerum referant. Scribit enim idem Monachus *pag. 100.* Albertum Rudolphi filium ad Comitem Tirolis ivisse, a quo ut filiam sibi in matrimonium daret petivisse, atque comitem, intellecta RVDOLPHI electione, statim ALBERTO desponsasse filiam suam Elisabetham. Neque Rudolpho munia ista honoraria praefita fuisse memoriae

riae proditum est. Verum tamen ex diplomate in Comitibus Erfordensibus Regi Bohemiae concessio eadem necessario Imperatori exhibenda videntur, quia ipse Imperator abs tali administratione *ius eligendi* derivare studuit, si lectio in diplomate a IO. PETR. de LVDEWIG edito recte se haberet. n) Obiit RVDOLPHVS a. 1291, vacat Germaniae regnum per anni spacium, electioneque discordi ADOLPHVS, Comes Nasso-viae fit Imperator atque obtinet: sic rem narrat EMVND. in *Magn. Chron. Belg. pag. 261.* sed MATTH. MARESCHALLVS PAPPENHEIM. in *Chron. Australi h. a. ap. FREHER. Tom. I. Slovici, pag. 337.* uniformi consilio et consensu illum electum fuisse scribit. Vt cunq; sit, electionem eius notasse sufficit, ne seriem Imperatorum turbem, cetera historico sint relicta.

D 3 Ao.

n) Haec diploma Regi Bohemiae concessum an. 1291. ex LVDEWIG. Tom. XI. *Reliq. MS. pag. 321.* illuminaret, nisi alia adesset lectio ap. MENCKEN. Tom. III. SCRIPT. RER. GERM. p. 1732. Sic itaque de LVDEWIG habet: *Haec vero iura pincernatus, ELECTIONIS MEDIUM, dicto regi et suis hereditibus dicimus competere, sed etiam suis progenitoribus, abavis, atavis, proavis et avis iure plenissime competere.* Apud MENCKEN. vero pro ELECTIONIS MEDIUM, ET ELECTIONIS NEDVM legitur. Est haec lectio haud dubie melior Ludewigiana in hoc diplomate, quod multis praeter ea aliis laborat vitiiis. Interim de Ludewig imputanda haec sunt minime. Edidit enim apographum ab homine rerum Imperii Germanici plane ignaro descriptum, multa idcirco errata in describendo in exemplum istud irrepsisse facile credendum est. Etenim ex WALTERI *lexico diplomat.* sub voc. *medium* et *nedum* constat, illud *med.* hoc vero *ned.* in antiquis diplomatis scriptum fuisse, adeoque pro *ned.* *nedum*, descriptorem facile *med.*

*Alberti An-
striaci.*

Ao. 1298. Electores regno Adolphum privant atque ALBERTVM eligunt. o) Hic vero, postquam Adolphum in proelio prope WORMATIAM occiderat, imperio renunciavit, atque iterum eligitur Francofurti ab omnibus Electoribus. vid. *cit.* PAPPENHEIM. *l. c.* p. 341 *seq.* ANNAL. HENR. STERON. *aa a.* 1298. *ap.* FREHER. *pag.* 402. Ao. 1299. comitia solemnia celebravit Norimbergae post festum B. Martini, ad quae OMNES PRINCIPES OFFICIALES venerunt. Haec HAINR. REBDORF. *in Annal. ad. d. a. ap.* FREHER *pag.* 412. non autem de functione Archi-officiorum aliquid memoriae reliquit, id, quod ex CHRONIC. CONSTANT. PISTORIANO *pag.* 674. clarum est, notatu ibidem digna leguntur de pompa Archi-officii a Rege Bohemiae Imperatori et Augustae exhibiti: *Wenzeslaus Rex Bohemiae, corona sua regali ornatus, eisdem ministravit, inter cetera pocularia, scyphum auro, iaspide, et aliis margaritis ornatum, adposuit, cet.* Numerat hoc Chronicon septem Electores Principes, quos vero nominare neglexit. De Electorum ceterorum

med. medium, ponere et legere potuisse. Sin coniecturae locus, errorem, quod ab Archi-officio ad Electoratum valeat consequutio, ex coniunctione officii pincernatus atque iuris electionis ortum esse opinor.

o) Non ab omnibus Principibus ciuratus ADOLPHVS atque electus ALBERTVS leguntur, sed memi-

nit saltem quorundam congregatorum ALBERT. ARGENTIENS. *ap.* VRSTIS. *Tom.* II. *Rec. Germ.* p. 110. et singulos recenset CHRON. COLMAR. *Part.* II. *ap.* eumd. *Vigilia* *nativitatis* *Io. Baptistae, cycli* *lunaris VII, tres Electores Regis Romanorum, Moguntinus, Brandenburgensis et Saxo Moguntiae convenerunt.*

forum Archi-officiis nullam ibi mentionem factam invenio; attamen in CHRON. COLMAR. *Part. II. ap. VRSTIS. Tom. II. Rer. Germ. pag. 60.* ubi haec ad a. 1298. referuntur, illorum quidem, sed generatim, mentio iniicitur: *Ibi dignitas cuiuslibet domini, coram Rege, solemniter recitatur, et quilibet dominorum Regi, in officio suo, sicut debuit, ministravit. Rex vero Bohemus, cum pretiosissima veste in equo, qui ad mille marcas aestimabatur, sedens, in cypho aureo sibi porrexit.* Haec solummodo in honorem Caesaris facta fuisse, vel ex eo mihi vero simile videtur, quod Regi, quem huius administrationis haud multo post poenituit, pollicitus sit Imperator, nullo umquam tempore ipsius iuri eandem functionem obfuturam.

§. III.

Trucidatur an. 1308. ALBERTVS a consanguineo suo Henrici de Lutzburg. Duce Ioanne, post illum per sex fere menses vacante Imperii Romano-Germanici folio HENRICVS de Lutzburg Imperator factus est. Ambiverunt tunc FRIDERICVS Austriacus et PHILIPPVS Galliae Rex regnum Germaniae, sed concordiae electione nostrum Germaniae praeficiunt Electores Ecclesiastici et Palatinus, quibus per compromissum aliorum Imperii Electorum hoc negotium erat datum; MVTIVS *J. XXIII. Chron. pag. 213. seq.* Hoc Francofurti probaverunt Electores, quorum nomina complectitur ipsius electionis decretum in LEIBNIT. *Mantissa Part. II. Cod. Dipl. Iur. Gent. §. 49. pag. 252. seqq.* Insuper hoc decretum testatur, eodem tempore alios principes nondum ab eligentium numero

mero fuisse segregatos; fecit nimirum mentionem WALDE-
MARI et OTTONIS Marchionum Brandenburgicorum atque
IOANNIS et ERICI fratrum, Ducum Saxoniae. Perhibent
scriptores comitia Spirae habita ab hoc Imperatore fuisse
praesentibus Electoribus, Principibus et civitatum nunciis,
nullius autem functionis Archi-officii cuiusdam mentio-
nem faciunt, certo iudicio, haec adhuc ad necessaria Ele-
ctorum officia pertinere non creditum fuisse, vid. ALBERT.
ARGENTIEN. *ad a. 1309. pag. 116.* LEHMANN. *Chron. Spirens.*
l. VII. c. II. pag. 732. seq. MVT. *l. XXIII. b. a. pag. 214.* Audita
Henrici morte Moguntinus diem futurae electioni dicit.
Conveniunt Francofurti Principes, sed magna militum
manu stipatus FRIDERICVS Austriae Dux adveniens co-
mitia valde turbavit. Fuit discors electio, maior tamen
pars LVDOVICO votum dedit. Meminit NIC. BVRGUND.
in histor. Bavar. l. I. pag. 12. Moguntini, Trevirensis, Saxo-
nis, Bohemi, Brandenburgici Electorum, a quibus LV-
DOVICVS fuit Imperator constitutus, ceteris ab Austriae
Ducis partibus stantibus. p)

Ludovici Ba-
vari.

§. IV.

p) Memoratu digna sunt verba Electorum electione Imperatorem
ipsum Imperatoris LVDOVICI in verum esse censendum, his verbis:
CONSTIT. in Comit. Francof. a. Ideo ad tantum malum evitandum
1338. facta, in qua iura Imperii de consilio et consensu Electorum et
contra sedem Romanam defendit sta- aliorum Principum Imperii declara-
tuens imperialem dignitatem et po- mus, quod Imperialis dignitas et po-
testatem a solo Deo esse et ex sola testas est immediate a solo Deo, et
quod

§. IV.

Sursum deorsumque scintillantibus banni papalis ful-
getris LUDOVICVS fidelium Imperii Germanici nisus auxi-
lio non commoveretur, ut se Praefuli, cui animarum cura
nequa-

Caroli IV.

quod de iure et Imperii consuetudine antiquitus adprobata, postquam aliquis eligitur in Imperatorem s. Regem ab Electoribus Imperii concorditer vel maiori parte eorundem, statim ex sola electione est Rex verus et Imperator Romanorum censendus et nominandus, reliq. conf. SCHMAVS. corp. iur. publ. Academ. pag. 2. Equidem IO. PETR de LVDEWIG in der Erklärung der güldnen Bulle Tom. I. p. 40. in ea opinione est, ac si ELECTORVM AC ALIORVM PRINCIPVM adpellatio ante consecutionem Aureae Bullae prorsus inaudita fuerit in eo significata, ut principes maiores et antiquiores hac subdistincti a novioribus principibus fuerint; neque discrimen illud inter principes electores et non electores ante CAROLI IV Imperatoris tempora locum habere potuisset, cum novelli principes, in electionis actu, antiquioribus Ducibus cedere detrectaverint, donec inde

per Auream Bullam excluderentur. Verum adducta Constitutio Ludovici Bavari contrarium docet, ubi haec inter principes distinctio occurrit. Iam tum enim controversiae inter principes imperii gliscabant de iure imperatorem eligendi, quod maiores principes minoribus et novioribus competere negabant. Confer huc decret. elect. Henrici VII. in §. III. citatum, ex quo diplomate seu potius epistola adparet, dubitarum tunc fuisse, utrum Ioannes et Ericus fratres, Duces Saxoniae, votum in electione imperatoris habere debeant nec ne? Licet eo tempore nemo fuerit ausus, certum catalogum edere principum electorum, quod demum a CAROLO IV praestitum novimus in Aurea Bulla, contradicentibus tamen et conquerentibus de iniuria per hanc sanctionem sibi facta haud paucis principibus, in primis domo Bavarica, cui CAROLVS semper infestus fuit.

E

nequaquam regnorum commissa est, supplicem abiiceret imperiumque ab eodem peteret. Eligunt quidem aliquot Principes, ab Archi episcopo Moguntino ad sedem regalem, quae Rense est, vocati, iubente Pontifice CAROLVM Moraviae Marchionem, sed nihil contra LVDOVICVM, dum vixit, actum ab eo esse scimus ob laudabilem fidelium Imperatoris constantiam. Cum vero naturae debitum reddidisset LVDOVICVS Bavarus, fasces imperii fuscipit CAROLVS IV. Neque de statu turbulentissimo, quem Papam auctorem habuisse historici docent: neque de factionibus inde in Germania ortis, quarum una mox hunc, mox alterum agnoscebat regem, hic quid prolixius scribere, sed statim de aurea Bulla sacratissima illa lege Imperii quaedam, quae ratio instituti exposcit, id est, quae propius principes Electores tangunt, in medium proferre animus est. Plura huc pertinentia videbis ap. ALBERT. ARGENT. *ad a. 1347. pag. 141. seqq.* MVT. I. *XXV. Chron. pag. 244. seqq.* IAC. DE KOENIGSHOV. *c. II. Chronic. Alsat.* LEHMANN. I. *VII. chron. Spirens. c. 34. pag. 779 seq.*

§. V.

A. B. quid circa formam eligendi disposuerit?

Mutata est videlicet per auream CAROLI IV Bullam ex parte vetus electionis forma, restricto iam ad septem viros, Electores inde dictos, iure Imperatorem constituendi. Nota quidem erat ante legis huius confectionem ista adpellatio, etiam si ceteri Principes iure adhuc simul cum illis Imperatorem eligendi gavisi fuerint, quod supra §. III. in not. adduxi-

duximus. Sed per hanc restrictionem plerique Principes eodem penitus privati, hincque *septemviri*, ad quos solummodo ius eligendi restrictum est, proprie *Electores* dicti sunt. Ex quo vero novi orti sunt Principes, inter hos et Duces antiquarum gentium de iure eligendi lites erant acerrimae, cumque praeterea mos invaluisset, ut Electores, quibus multi erant liberi, more Germanis pridem adprobato, terras suas interdum inter liberos dividerent, omnes eligendi Imperatorem iure uti annisi sunt. His Imperator CAROLVS IV commotus omnem electoralium terrarum divisionem prohibuit, maioremque natu filiorum electoris prerogativa frui statuit in *Tit. XXV. A. B.* Tales fuerunt controversiae in Domo Saxonica ortae post obitum scilicet RVDOLPHI II, qui sine heredibus decessit; hae ferbuerunt inter fratrem defuncti WENCESLAVM et ALBERTVM fratris OTTONIS filium, cum WENCESLAVS Rex Romanorum eligeretur, sed victoriam reportavit WENCESLAVS Wittenbergiensis ex decreto Imperatoris, quod sub tit. *Aureae Bullae de iure et successione Electorum Saxoniae* notum est atque exstat apud GOLDAST. *tom. 1. Const. Imper. pag. 373.* Eiusdem naturae sunt dissidia BAVARI ET PALATINI. Ambo parique iure electorum petebant, alter *iure populi*, iure autem *officii aulici* alter, qui etiam vicit. Per decretum videlicet Imperatoris CAROLI IV electoralia iura RVPERTO RVFO Comiti Palatino Rheni contra STEPHANVM Bavariae Ducem adscribuntur. GOLDAST. *l. c. pag. 551.* Hoc modo has quidem lites sopivit Caesar non vero sine maxima

ma Bavari iniuria. Is enim, cui per tot iam saeculorum lapsum iura haec intacta erant relicta, causa nunc cecidit per decretum sibi infaustum. Numerat Aurea Bulla septem Electores, quibus *octavum* et *nonum* accessisse notum est. Moguntinus secundum A. B. tamquam Archi-cancellarius per Germaniam ceteros Electores convocat ad futuram Imperatoris electionem, de cuius specialibus requisitis tamen hic locus agendi non est. De modo et tempore peragendi Archi-officia agitur in *A. B. Tit. XXVII.*

§. VI.

*Quare Archi-
principibus ius
eligendi con-
firmaverit
Carolus IV?*

Attamen CAROLVS IV nequaquam pristini iuris plane immemor fuit in A. B. condenda; licet enim Principibus Electoribus tantum tribuerit Archi-officia, eius tamen mens numquam fuit, splendorem dignitatis electoralis ab isto munere aulico repetere, aut, ut repeti debeat, statuere. Notum enim huius Imperatoris erat temporibus, qualis antea fuerat dignitas *Archi-principum*, quantumque illi in ipsius Regis vel Imperatoris electione pondus. Praerogativam hanc electoralem ut factam rectam haberent Septemviri, multa, quae et iure postulare maximam partem poterant Electores, sanxit, utque auram benevolentiae ipsorum capteret, titulis et praedicatis singularibus, quibus Aurea Bulla abundat, eos extulit. Ius autem eligendi iste merito a *provinciarum regimine* arcessiuit, quarum causa etiam Principibus a primordiis Germanici Imperii competierat. Digna

gna sunt verba, quae huc pertinent, tit. VII. §. 2. ut hic adnotentur: *Sane generaliter longe lateque est publicum, et quasi per totum orbem notorie manifestum, illustres, Regem Bohemiae, Comitem Palatinum Rheni, Ducem Saxoniae et Marchionem Brandenburgensem, VIRTUTE REGNI ET PRINCIPATVVM SVORVM, in electione Regis Romanorum in Caesarem promovendi, cum ceteris Principibus ecclesiasticis suis Coelectoribus, ius, vocem et locum habere, et una cum ipsis censeri et esse veros et legitimos sacri Imperii principes Electores.* Hinc itaque adparet, Imperatorem originem iuris eligendi principum maiorum et intellexisse et ius illud confirmasse; eo maiori vero admiratione dignum est, eundem adeo iniquum fuisse in *Bavaricam domum*, quam ab electione exclusit, cum tamen Boioariorum Duces antiquitate, et nationis, quam regebant, auctoritate ceteris inferiores non essent. Ex his obscurum non est, Electorem Brunsvicensis plenissimo iure Imperatorem eligendi gaudere posse, licet *Archi-officium* non gerat. Semel enim Imperator ac imperium hunc nonum Electorem votum atque sessionem inter Electores habere sanxerunt, quo iure adhuc hodie serenissima Domus fruitur. Interim tamen negandum non est, Imperatorem de *Archi-officio* ipsi tradendo etiam fuisse sollicitum, quod factum, cum Palatinus *Archi-dapiferarum*, proscripto *Bavaro*, iterum adeptus esset, de *Archi-thesaurariatu* *Viennae* 1710. 12. April. investitus est *Electo Brunsvicensis*. Restituito vero *Bavaro*, iterum scena mutata et de novo *Archi-officio* introducendo deliberationes institutae sunt: neque

eo fecius eum semper electionibus Imperatorum interfuisse constat, certo indicio, iura electoratus etiam sine *Archi-officio* subsistere. Interim tamen Imperatores in capitulationibus de *Archi-officio* illi prospiciendo promittunt, id, quod etiam repetitum in noviss. Capit. *Art. III. §. 5.* Plura huc pertinentia sistunt *der Europaeische Serhold. P. I. pag. 313. LÜNIGS Teutsches Reichs-Archiv. part. special. sect. I. pag. 167. LETTRES HISTORIQUES Jan. pag. 108. 1693. FABRI Staats-Canzeley tom. V. c. 6. pag. 239. et tom. XV. c. 12.* Quam ob causam quidam eruditi omnibus nervis intentis studuerunt, ut *Archi-officium* dignum Electore serenissimo excogitarent, quod post alios nuperrime fecerunt, IOANNES HENRICVS DRÜMELIVS in den *Gedanken von der Hoheit der Erz-Doman-Würde, als eines neu zu stiftenden Erz-Amtes* &c. *Jes. 1745. et Christian Gottlieb SCHWARTZIVS von des S. R. Reichs Erz-Schild-Herrn-Amt.*

§. VII.

Iura Electorum ecclesiasticorum et Palatini Rheni ad electionem Imperatoris unde?

His itaque inniti fundamentis ius Electorum nobis videtur. Priusquam vero dissertationi colophonem imponam, quaedam de iure, quo fruitur Palatinus Elector, atque de illo Ecclesiasticorum in medium proferam. Fuit ab antiquis temporibus *Electoris Palatini* officium, ut causas cognosceret, atque iura redderet. FREHER. *Origin. Palat. II. c. 2. X. c. 9.* Propriam numquam habuit provinciam, sed ex beneficio Imperatoris quasdam olim possedit terras, ceu patet ex ANNALIST. SAXON. ad an. 949. *Odo Comes obiit,*

qui

qui permissu Regis quidquid beneficii aut praefecturam habuit, quasi hereditatem inter filios divisit. Imperatoris autem electioni interfuit, vi officii, quod in Palatio imperiali gessit. Omnis olim etiam clerus maior adfuit, si Rex constituendus esset; haec scriptorum supra laudatorum testimonia comprobant. Cum vero per A. B. Carolus IV electionem Imperatoris certis tantum principibus tribueret, factum est, ut tres Archi-episcopi Rhenani, qui simul Archi-cancellarii per Germaniam, Italiam et Galliam Belgicam sunt, ad electoralem sint promoti dignitatem, quoniam metropoles eorum in *dominio Caesaris*, hoc est, ipsa Rhenana provincia sitae erant. Certe mirandum esset, quod Archi-episcopi Magdeburgensis nimirum Bremensis atque Salisburgensis haec aequo animo passi fuerint; sed propter dignitatem Archi-cancellariatum, quos iam a longi temporis intervallo gesserant, ceteris praestantiores fuisse credibile est. Conf. huc BEMHARD. a MALLINCKROT. *Tract. de Archi-cancellar. pag. 42. seqq.* Multum praeterea vicinitas, qua Archi-solium locumque electionis attingebant, fortassis contulit, ut ius suum vetus ad electionem scilicet Imperatoris concurrendi, integrum atque illaesum conservarint, quod alii plerique diu ante A. B. confectionem per negligentiam amiserant, neque id facile recuperari potuisset obstante aliquot saeculorum contraria iam observantia. vid. de LVDEWIG
in der Erläuterung der güldenen Bulle

Tom. I. pag. 42. seqq.

F I N I S.

CLA-

CLARISSIMO CANDIDATO

S. P. D.
P R A E S E S.

Versaris in argumento illustri, sed admodum per aliquot secula in contentionem vocato, quod optimo consilio elegisti, ut vires ingenii tui non in parui momenti rebus sed in sublimiori causa publice manifestares atque ostenderes, te ad maiora natum atque in Academiis enutritum esse. Quia vero eruditionis ambitus latissimus est et per omnes iurium partes sese extendit, merito loco speciminis publici specialissimum thema, quod se a dignitate rei commendat, a candidatis iurium eligitur, in quo enucleando ostendunt, se non superficialiam doctrinam imbibisse, sed ad intimas quaestionum abditarum rationes, quae potissimum ex antiquitatibus in iure publico trahuntur, penetrasse. Finem hunc te, clarissime candidate, in enucleanda quaestione publice proposita, obtinuisse, publice mecum omnes, qui pondera momentorum a te allatorum examina-

bunt,

bunt, constituent atque profitebuntur, te tempus,
quod studiis in Marpurgensi, Lipsiensi et hac Fridericiana dicasti, non perdidisse, sed optime posuisse
atque tandem ea collegisse, ex quibus messem uber-
rimam suo tempore facere queas. Hos studiorum
tuorum fructus iam nostro ordini in examinibus
ita prodidisti, ut eos non potuerimus non calculo
nostro probare, atque tuo voto, quo ad summum
honorum Academicarum fastigium ascendere co-
gitas, adscribere: BONVM FACTVM. An-
tequam tamen tui desiderii compos fias, tibi ad-
huc subeundum erit certamen publicum, cuius cau-
sa hanc dissertationem inauguralem elaborasti si-
mulque monstrasti, te varia doctrina instructum
digne in publicum prodire posse. Sicuti vero in-
ter alios mihi docenti quoque sedulam operam de-
didisti, atque hanc ob causam me tui publici certa-
minis moderatorem elegisti; ita meum esse hac oc-
cassione arbitratus sum, non tantum meo elogio et
applausu optimas et egregias tui animi dotes ex-
cipere, sed etiam instantes honorum gradus tibi
gratulari, addito voto, ut omnia in posterum
quoque tibi prospere cedant. Vale. Dabam
e museo d. XIV. Sept. MDCCXLVI.

F

CON-

CONSULTISSIMO
DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

CHRISTIANUS L. B. DE WOLFF

FRIDERICIANÆ CANCELLARIUS.

Sintima penitus philosophia Juris
scientiam hauriendam esse, dudum
monuit Cicero: quod etsi in omni-
um ore versetur, pauci tamen sunt,
qui dicto fidem habent. Quam mul-
ti enim sunt, qui jura aliis tradunt, in omni ta-
men philosophia prorsus rudes ac hospites, tan-
tum abest ut intimius eam inspicere unquam desi-
deraverint. Qui in Academiis animum ad Ju-
risprudentiam appellunt, aut philosophiæ stu-
dium omne prorsus abjiciunt, aut superficiaria
quadam cognitione eorum, quæ ad philosophiam
pertinent, imbuti officio suo abunde satisfecisse
sibi videntur, quod in spem futura oblivionis di-
dicerint, quæ ad scientiam juris nihil adjumenti
afferunt. Aliter vero Tibi visum fuit, Candi-
date Consultissime, qui effatum Ciceronis accu-
ratori mentis lance trutinasti. Cum enim ad-
huc

buc Marburgi Matheſin Philoſophiam et Jus
naturæ ac gentium docerem, ad antiquam illam
Muſarum ſedem acceſſiſti, ut, me duce, Matheſi
philoſophiæ ac Juri naturæ operam dares et hæc
ſtudia cum Jure civili conjungeres. Poſtquam
Halam conceſſiſſem, buc quoque veniſti, ut,
quæ ibidem ex ore meo hauſeras, ſecundis curis
confirmares, nec ita Jurisprudentiæ ſtudio va-
cares, ut, quæ ante didiceras, iterum oblivioni
traderes. Seceſſiſti deinde in Academiam Lipſi-
enſem, ut non modo Jurisprudentiæ civilem
ibi magis excoleres, verum etiam in primis publi-
cæ et hiſtoriæ Imperii ſtudio Tetraderes. Nullus
ego dubito Te recta via ad metam contendiſſe:
ad quam nunc Te feliciter perveniſſe video, dum
Illuſtris Ordo Jſtorum Tibi ſupremos in utro-
que Jure honores unanimiter conferre decrevit,
præmium perpetuum laborum tuorum per tot an-
nos rariſſimo hodie exemplo in Academiis exant-
latorum. Gratulor Tibi hoſce honores et cum
Te amare cœperim, quam primum lateri meo Te
adjunxiſti, ita quoque tua amicitia nil quidquam
mibi unquam jucundius erit. Vale. Dabam
Hale d. 13. Septembris A. O. R. 1746.

HONORATISSIMO FRATRI SVO
WALTHERO BECKHOFFIO

S. P. D.

IOANNES BECKHOFF.



*pi non mediocrem voluptatem, quod hac die
TIBI solemi, amorem erga TE meum pu-
blice praedicare possim. Spatium quinquennii,
quod Justinianus imperator, eis praescripsit, qui iuris studio in
academiis dant operam, pridem implevisti. Honores in iure sum-
mi nunc TIBI parantur, qui sequi solent vitam bene ibi actam:
Gratulor ea de re et TIBI et mihi simul. TIBI quia modo fru-
eris diligentique TVAE in bonis litteris tot amorum praemio;
mihi autem quum nos natura vinculo tam arcto iunxerit, ut quid-
quid TIBI acciderit, eius expers esse non possim. Ceterum, ca-
rissime FRATER, quum ad iter in exoticas faciendum regiones
TE iam accinxeris, vota nuncupo pro felici ita ac reditu TVO,
utque aliquando honoratissimos parentes nostros incolumes, ipse
solbes, amplecti in patria queas, qui desiderio TVI tenentur.
Unicum tandem abs TE rogo adhuc, ut amorem TVVM ac
benevolentiam erga me nunquam oblivioni aut mutationi obnoxios
esse patiaris. Vale. Dabam Lipsiae die XVIII. Calendarum Octo-
bris Anno MDCCXLVI.*




Halle, Diss.) 17 46/47



58







20 2
1746, 16

DISSERTATIO IVRIS PVBLICI
INAUGVRALIS
IN QVA
QVAESTIO EXPENDITVR:
**VTRVM ELECTORES
VI ARCHI-OFFICIORVM
IMPERATOREM
ELIGANT**

QVAM
PRAESIDE

ACADEMIAE FRIDERICIANAE DIRECTORE
DN. IVSTO HENNINGIO BOEHMERO
ICTO

POTENTISSIMI BORVSSIAE REGIS A CONSILII INTIMIS
REGIMINIS DVCATVS MAGDEBVRGICI CANCELLARIO
ATQVE FACVLTATIS IVRIDICAE ORDINARIO
CONSENSV INCLYTI ICTORVM ORDINIS
PRO GRADV DOCTORIS

DIE XVII. SEPTEMB. MDCCXXXVI.
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

H. L. Q. C.

AVCTOR ET RESPONDENS

WALTHER BECKHOFF

HAMBVRGENSIS.

HALAE MAGDEBVRGICAE
LITTERIS IOANNIS FRIDERICI GRVNERTI.

(6½)